

DE OFFICIIS

LIBER TERTIUS.

I. PUBLIUM SCIPTIONEM, Marce fili, eum, qui primus Africanus appellatus est, dicere solitum, scriptis Cato, qui fuit fere ejus aequalis, Nunquam se minus otiosum esse, quam quum otiosus; nec minus solum, quam quum solus esset. Magnifica vero vox, et magno viro ac sapiente digna: quæ declarat, illum et in otio de negotiis cogitare, et in solitudine secum loqui solitum; ut neque cessaret unquam, et interdum colloquio alterius non egret. Itaque due res, que langorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium et solitudo. Vellem nobis hoc idem vere dicere liceret; sed si minus imitatione tantam ingenii præstantiam consequi possumus, voluntate certe proxime accedimus: nam et a republica forensibusque negotiis, armis impiis, vique prohibiti, otium persequimur; et ob eam causam, urbe relicta, rura peragrantes, sepe soli sumus. Sed nec otium hoc cum Africani otio, nec haec solitudo cum illa comparanda. Ille enim requiescens a reipublica pulcherrimis muneribus otium sibi sumebat aliquando, et a cœtu hominum frequentiaque interdum, tanquam in portum, se

LIBER III.

253

in solitudinem recipiebat: nostrum autem otium negotii inopia, non requiescendi studio, constitutum est. Extincto enim senatu, deletisque judiciis, quid est, quod diguum nobis aut in curia, aut in foro agere possimus? Itaque qui in maxima celebritate, atque in oculis civium quondam viximus, nunc fugientes conspectum sceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos, quantum licet, et saepe soli sumus. Sed quia sic ab hominibus doctis accepimus, non solum ex malis eligere minima oportere; sed etiam excerpere ex his ipsis, si quid inesset boni: propterea et otio fruor, non illo quidem, quo debeat is, qui quondam peperisset otium civitati; nec eam solitudinem languere patior, quam mihi adfert necessitas, non voluntas. Quanquam Africanus majorem laudem vel meo iudicio assequebatur. Nulla enim ejus ingenii monumenta mandata litteris, nullum opus otii, nullum solitudinis munus exstat. Ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione, investigationeque earum rerum, quas cogitando consequebatur, nec otiosum, nec solum unquam fuisse. Nos autem, qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita a solitudine abstrahamur, ad hanc scribendi operam omne studium curamque convertimus. Itaque plura brevi tempore, eversa, quam multis annis, stante republica, scripsimus.

II. Sed quum tota philosophia, mi Cicero, fru-
gifera et fructuosa, nec ulla pars ejus inculta ac
deserta sit: tum nullus feracior in ea locus est,
nec uberior, quam de officiis, a quibus constanter
honesteque vivendi precepta ducantur. Quare
quoniam a Cratippo nostro, principe hujus me-
moriae philosophorum, haec te assidue audire at-
que accipere confido: tamen conducere arbitror,
talibus aures tuas vocibus undique circumsonare;
nec eas, si fieri possit, quidquam aliud audire.
Quod quum omnibus est faciendum, qui vitam
honestam ingredi cogitant, tum haud scio, an
nemini potius, quam tibi. Sustines enim non par-
vam expectationem imitandae industria nostræ,
magnum honorum, nonnullam fortasse nominis.
Suscepisti onus præterea grave et Athenarum, et
Cratippi: ad quos quum tanquam ad mercaturam
bonarum artium sis profectus, inanem redire tur-
pissimum est, dedecorantem et urbis auctoritatem,
et magistri. Quare quantum committi animo potes,
quantum labore contendere (si discendi labor est
potius, quam voluptas), tantum, fac, ut efficias;
neve committas, ut, quum omnia suppeditata sint
a nobis, tute tibi defuisse videare. Sed haec ha-
tenuis. Multa enim sæpe ad te cohortandi gratia
scripsimus. Nunc ad reliquam partem propositæ
divisionis revertamur.

Panætius igitur, qui sine controversia de officiis
accuratissime disputavit, quemque nos, correcc-
tione quadam adhibita, potissimum secuti sumus,
tribus generibus propositis, in quibus deliberare
homines, et consultare de officio solerent, uno,
quum dubitarent, honestumne id esset, de quo
ageretur, an turpe; altero, utilene, an inutile;
tertio, si id, quod speciem haberet honesti, pug-
naret cum eo, quod utile videretur, quomodo ea
discerni oporteret: de duabus generibus primis,
tribus libris explicavit; de tertio autem genere
deinceps se scripsit dicturum, nec exsolvit, quod
promiserat. Quod eo magis miror, quia scriptum a
discipulo ejus Posidonio est, trigesinta annis vixisse
Panætium, posteaquam eos libros edidisset. Quem
locum miror a Posidonio breviter esse tactum in
quibusdam commentariis; presertim quum scri-
bat, nullum esse locum in tota philosophia tam
necessarium. Minime vero assentior iis, qui ne-
gant, eum locum a Panætio prætermisssum, sed
consulto relictum, nec omnino scribendum fuisse,
quia nunquam posset utilitas cum honestate pug-
nare: de quo alterum potest habere dubitationem,
adhibendum fuerit hoc genus, quod in divi-
sione Panætii tertium est, an plane omitendum;
alterum dubitari non potest, quin a Panætio sus-
ceptum sit, sed relictum. Nam qui e divisione tri-

partita duas partes absolverit, hinc necesse est restare tertiam. Præterea in extremo libro tertio de hac parte pollicetur se deinceps esse dicturum. Accedit eodem testis locuples, Posidonius, qui etiam scribit in quadam epistola, P. Rutilium Rufum dicere solere, qui Panætium audierat, Ut nemo pictor esset inventus, qui Coæ Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret (oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat): sic ea, quæ Panætius prætermisisset, et non perfecisset, propter eorum, que perfecisset, præstantiam, neminem esse persecutum.

III. Quamobrem de judicio Panætii dubitari non potest: rectene autem hanc tertiam partem ad exirendum officium adjunxit, an secus, de eo fortasse disputari potest. Nam sive honestum solum bonum est, ut stoicis placet, sive quod honestum est, id ita sumnum bonum est, quemadmodum peripateticis¹ nostris videtur, ut omnia ex altera parte collocata, vix minimi momenti instar habeant: dubitandum non est, quin nunquam possit utilitas cum honestate contendere. Itaque accepimus, Socratem exsecurari solitum eos, qui primum hac, natura cohærentia, opinione dis-

¹ Vestris.

traxissent. Cui quidem ita sunt stoici assensi, ut, quidquid honestum esset, id utile esse censerent, nec utile quidquam, quod non honestum. Quod si is esset Panætius, qui virtutem propterea colendam diceret, quod ea efficiens utilitatis esset; ut ii, qui res expetendas vel voluptate, vel indolentia metiuntur; liceret ei dicere, utilitatem aliquando cum honestate pugnare: sed, quum sit is, qui id solum bonum judicet, quod honestum sit; quæ autem huic repugnant specie quadam utilitatis, eorum neque accessione meliorem vitam fieri, nec decessione pejorem: non videtur ejusmodi debuisse deliberationem introducere, in qua, quod utile videretur, cum eo, quod honestum² esset, compararetur.

Et enim quod summum bonum a stoicis dicitur, convenienter naturæ vivere: id habet hanc, ut opinor, sententiam, cum virtute congruere semper; cetera autem, quæ secundum naturam essent, ita legere, si ea virtuti non repugnarent. Quod quum ita sit, putant quidam, hanc comparationem non recte introductam, nec omnino de eo genere quidquam præcipiendum fuisse. Atque illud quidem honestum, quod proprie vereque dicitur, id in sapientibus est solis, neque a virtute

² Est.

divelli unquam potest; in iis autem, in quibus sapientia perfecta non est, ipsum illud quidem perfectam honestum nullo modo, similitudines honesti esse possunt. Hæc enim omnia officia, de quibus his libris disputamus, media stoici appellant, ea communia sunt, et late patent; quæ et ingenii honestate multi assequuntur, et progressione descendit: illud autem officium, quod rectum iidem appellant, perfectum atque absolutum est, et, ut iidem dicunt, omnes numeros habet; nec, præter sapientem, cadere in quemquam potest.

Quum autem aliquid actum est, in quo media officia compareant, id cumulate videtur esse perfectum: propterea quod vulgus, quid absit a perfecto, non fere intelligit; quatenus autem intelligit, nihil putat prætermissum. Quod item in poematibus, et picturis usu venit, in aliisque compluribus, ut delectentur imperiti, laudentque ea, quæ laudanda non sint, ob eam, credo, causam, quod insit in his aliquid probi, quod capiat ignaros, qui iidem, quid in unaquaque re vitii sit, nequeant judicare. Itaque quum sunt docti a peritis, facile desistunt a sententia.

IV. Hæc igitur officia, de quibus his libris disserimus, quasi secunda quedam honesta esse dicunt, non sapientum modo propria, sed cum omni hominum genere communia. Itaque his om-

nes, in quibus est virtutis indeoles, commoventur. Nec vero quum duo Decii, aut duo Scipiones, fortes viri commemorantur, aut quum Fabricius, Aristidesve justus nominatur, aut ab illis, fortitudinis, aut ab his, justitiae, tanquam a sapientibus, petiunt exemplum. Nemo enim horum sic sapiens est, ut sapientem volumus intelligi; nec ii, qui sapientes habitu sunt, et nominati, M. Cato, et C. Lælius, sapientes fuerunt; ne illi quidem septem: sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quamdam gerebant speciemque sapientum. Quocirca nec id, quod vere honestum est, fas est cum utilitatibus repugnantibus comparari; nec id, quod communiter appellamus honestum, quod colitur ab iis, qui bonos se viros haberi volunt, cum emolumenatis unquam est comparandum: tamque id honestum, quod in nostram intelligentiam cadit, tuendum conservandumque est nobis, quam id, quod proprie dicitur, vereque est honestum, sapientibus. Alter enim teneri non potest, ¹ si qua est ad virtutem facta progressio.

Sed hæc quidem de iis, qui conservatione officiorum existimantur boni. Qui autem omnia metiuntur emolumenatis et commodis, neque ea volunt præponderari honestate, hi solent in deli-

¹ Al. si qua ad virtutem est.

berando honestum cum eo, quod utile putant, comparare: boni viri non solent. Itaque existimo, Panzetiūm, quum dixerit, homines solere in hac comparatione dubitare, hoc ipsum sensisse, quod dixerit, solere modo, non etiam oportere. Etenim non modo pluris putare, quod utile videatur, quam quod honestum; sed hæc etiam inter se compara-re, et in his addubitare, turpissimum est.

Quid est ergo, quod nonnunquam dubitatio-nem afferre soleat, considerandumque videatur? Credo, si quando dubitatio accidit, quale sit id, de quo consideretur. Sæpe enim tempore fit, ut, quod plerumque turpe haberi soleat, inveniatur non esse turpe. Exempli causa ponatur aliquid, quod pateat latius. Quod potest majus esse scelus, quam non modo hominem, sed etiam familiarem hominem occidere? Num igitur se adstrinxit scelere, si quis tyrannum occidit, quamvis familiarem? Populo quidem Romano non videtur, qui ex omnibus præclaris factis illud pulcherrimum existimat. Vicit ergo utilitas honestatem? imo vero honestatem utilitas est consecuta.

Itaque, ut sine ullo errore dijudicare possimus, si quando cum illo, quod honestum intelligimus, pugnare id videbitur, quod appellamus utile, for-mula quædam constituenda est: quam si seque-
mur in comparatione rerum, ab officio nunquam

recedemus. Erit autem hæc formula, stoicorum rationi, disciplinaque maxime consentanea: quam quidem in his libris propterea sequimur, quod, quanquam a veteribus academicis, et peripateticis nostris, qui quondam iidem erant, qui academici, quæ honesta sunt, anteponuntur iis, quæ videntur utilia: tamen splendidius hæc ab eis disseruntur, quibus, quidquid honestum est, idem utile vide-tur, nec utile quidquam, quod non honestum, quam ab his, quibus aut honestum aliquid non utile, aut utile non honestum. Nobis autem nostra academia magnam licentiam dat, ut quodecumque maxime probabile occurrat, id nostro jure liceat defendere. Sed redeo ad formulam.

V. Detrahere igitur aliquid alteri, et hominem hominis incommodo sumum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera, quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam prin-cipio tollit convictum humanum, et societatem. Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet, aut violet alterum, dis-rumpi necesse est eam, quæ maxime est secun-dum naturam, humani generis societatem. Ut, si unumquodque membrum sensum huic haberet, ut posse putaret, se valere, si proximi membra validitudinem ad se traduxisset; debilitari, et inter-

ire totum corpus necesse esset: sic, si unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahatur, quod cuique possit, emolumenti sui gratia; societas hominum, et communitas evertatur necesse est. Nam, sibi ut quisque malit, quod ad usum vite pertineat, quam alteri, acquirere, concessum est, non repugnante natura. Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus. Neque vero hoc solum natura, id est, jure gentium, sed etiam legibus populorum, quibus in singulis civitatibus res publica continetur, eodem modo constitutum est, ut non liceat sui commodi causa nocere alteri. Hoc enim spectant leges, hoc volunt; incolorem esse civium coniunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, danno coerceant. Atque hoc multo magis exigit ipsa naturae ratio, qua est lex divina, et humana: cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui secundum naturam volent vivere), nunquam committet, ut alienum appetat, et id, quod alteri detraxerit, sibi assumat. Etenim multo magis est secundum naturam excelsitas animi et magnitudo, itemque comitas, justitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam divitiae: qua quidem contempnere, et pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate communii, magni animi et excelsi est. Detrahere

autem alteri sui commodi causa, magis est contra naturam, quam mors, quam dolor, quam cetera generis ejusdem.

Itemque, magis est secundum naturam, pro omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis aut juvandis maximos labores molestiasque suscipere, imitante Herculem illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio coelestium collocavit, quam vivere in solitudine, non modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis; ut excellas etiam pulchritudine et viribus. Quocirea optimo quisque, et splendidissimo ingenio longe illam vitam huic anteponit. Ex quo efficitur, hominem naturae obedientem, homini nocere non posse.

Deinde, qui alterum violat, ut ipse aliquid commodi consequatur, aut nihil se existimat contra naturam facere, aut magis fugiendam censem mortem, paupertatem, dolorem, amissionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum, quam facere cuiquam injuriam. Si nihil existimat contra naturam fieri hominibus violandis: quid cum eo disseras, qui omnino hominem ex homine tollat? Sin fugiendum id quidem censem, sed et multo illa pejora, mortem, paupertatem, dolorem: erat in eo, quod ullum aut corporis, aut fortunae vitium, animi vitiis gravius existimat.

VI. Ergo unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniuscujusque, et universorum: quam si ad se quisque rapiat, dissolvetur omnis humana consortio. Atque si etiam hoc natura præscribit, ut homo homini, quicunque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consultum velit: necesse est secundum eamdem naturam omnium utilitatem esse communem. Quod si ita est, una continemur omnes, et eadem lege naturæ: idque ipsum si ita est, certe violare alterum lege naturæ prohibemur. Verum autem primum, Veram igitur et extremum. Nam illud quidem absurdum est, quod quidam dicunt, parentes aut fratri nihil detracturos, commodi sui causa; aliam rationem esse civium reliquorum. Hi sibi nihil juris, et nullam societatem, communis utilitatis causa, statuunt esse cum civibus: qua sententia omnem societatem distrahit civitatis. Qui autem civium rationem dicunt habendam, exteriorum negant, hi dirimunt communem humani generis societatem: qua sublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur; qua qui tollunt, etiam adversus deos immortales impii judicandi sunt. Ab iis enim constitutam inter homines societatem evertunt: cuius societatis arctissimum vinculum est, magis arbitrari esse contra naturam, hominem homini detrahere, sui com-

modi causa, quam omnia incommoda subire vel externa, vel corporis, vel etiam ipsius animi, quæ vacent: justitia. Hæc enim una virtus omnium est domina et regina virtutum.

Forsitan quispiam dixerit: Nonne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri homini ad nullam rem utili? Minime vero. Non enim mihi est vita mea utilior, quam animi talis affectio, neminem ut violent commodi mei gratia. Quid si Phalarim, crudelem tyrannum et immannem, vir bonus, ne ipse frigore conficiatur, vestitu spoliare possit; nonne faciat? Hæc ad judicandum sunt facilima. Nam, si quid ab homine ad nullam partem utili, tuæ utilitatis causa detraxeris; inhumane feceris, contraque natura legem: sin autem is tu sis, qui multam utilitatem reipublicæ atque hominum societati, si in vita remaneas, afferre possis, si quid ob eam causam alteri detraxeris; non sit reprehendendum. Sin autem id non sit ejusmodi, suum cuique incommodum ferendum est potius, quam de alterius commodis detrahendum. Non igitur magis est contra naturam morbus, aut egestas, aut quid hujusmodi, quam detracatio aut appetitio alieni.

: Rectius injustitia. Maret. emend. servantem justiam.

Sed communis utilitatis derelictio contra natu-
ram est. Est enim injusta. Itaque lex ipsa naturæ,
que utilitatem hominum conservat et continet, de-
cernit profecto, ut ab homine inertii atque inutili,
ad sapientem, bonum, fortemque virum transfe-
rantur res ad vivendum necessarie; qui si occide-
rit, multum de communi utilitate detraxerit: modo
hoc ita faciat, ut ne ipse de se bene existimans,
seseque diligens, hanc causam habeat ad injuriam.
Ita semper officio fungetur, utilitati consulens ho-
minum, et ei, quam sæpe commemoro, humanæ
societati. Nam quod ad Phalarim attinet, perfacie
judicium est. Nulla enim nobis societas cum ty-
rannis, sed potius summa distractio est; neque est
contra naturam, spoliare eum si possis, quem ho-
nestum est necare; atque hoc omne genus pesti-
ferum atque impium, ex hominum communitate
exterminandum est. Etenim, ut membra quædam
amputantur, si et ipsa sanguine, et tanquam spi-
ritu carere cœperunt, et nocent reliquis partibus
corporis: sic ista in figura hominis feritas et im-
manitas bellæ, a communi tanquam humanitate
corporis segreganda est. Hujus generis sunt ques-
tiones omnes ea, in quibus ex tempore officium
exquiritur.

VII. Ejusmodi igitur credo res Panætium per-
secuturum fuisse, nisi aliqui casus, aut occupatio

consilium ejus peremisset: ad quas ipsas consulta-
tiones ex superioribus libris satis multa præcepta
sunt, quibus perspici possit, quid sit propter turpi-
tudinem fugiendum; quid, quod idcirco fugiendum
non sit, quia omnino turpe non ¹ sit. Sed quoniam
opera inchoato, et prope ² jam absoluto, tanquam
fastigium imponimus: ut geometræ solent non
omnia docere, sed postulare, ut quadam sibi con-
cedantur, quo facilius, que ³ velint, explicent; sic
ego a te postulo, mi Cicero, ut mihi concedas, si
potes, nihil, præter id, quod honestum sit, prop-
ter se esse expetendum. Sin hoc non licet per Crat-
ippum; at illud certe dabis, quod honestum sit,
id esse maxime propter se expetendum. Mihi utrius-
vis satis est; et tum hoc, tum illud probabilius vi-
detur, nec præterea quidquam probabile.

Ac primum Panætius in hoc defendendus est,
quod non utilia cum honestis pugnare aliquando
posse dixerit (neque enim ei fas erat), sed ea, quæ
⁴ viderentur utilia. Nihil vero utile, quod non idem
honestum; nihil honestum, quod non idem
utile sit, saepè testatur: negatque, ullam pestem
majorem in vitam hominum invasisse, quam eo-
rum opinionem, qui ista distraxerint. Itaque non,
ut aliquando anteponeremus utilia honestis, sed

¹ Est. ² Tamen. ³ Volunt. ⁴ Videntur.

ut ea sine errore dijudicaremus, si quando incidissent, induxit eam, quæ videretur esse, non quæ esset, repugnantiam. Hanc igitur partem relictam explehimus, ¹ nullius adminiculis, sed, ut dicitur, Marte nostro. Neque enim quidquam de hac parte post Panætium explicatum est, quod quidem mili probaretur, de iis, quæ in manus meas venerunt.

VIII. Quum igitur aliqua species utilitatis objecta est, commoveri necesse est. Sed si, quum animum attenderis, turpitudinem videas adjunctam ei rei, quæ speciem utilitatis attulerit; tum non utilitas relinquenda est, sed intelligendum, ubi turpitudo sit, ibi utilitatem esse non posse. Quod si nihil est tam contra naturam, quam turpitudo (recta enim, et convenientia, et constantia natura desiderat, aspernaturque contraria), nihilque tam secundum naturam, quam utilitas: certe in eadem re utilitas et turpitudo esse non potest. Itemque, si ad honestatem nati sumus, eaque aut sola expetenda est, ut Zenoni visum est; aut certe omni pondere gravior habenda, quam reliqua omnia, quod Aristotelii placet: necesse est, quod honestum sit, id esse aut solum, aut summum bonum: quod autem bo-

¹ Null's.

num, id certe utile; ita quidquid honestum, id utile.

Quare error hominum non proborum, quum aliquid, quod utile visum est, arripuit, id continuo secernit ab honesto. Hinc sicæ, hinc venena, hinc falsa testamenta nascuntur; hinc furtæ, peculatus, expilations, direptionesque sociorum, et civium; hinc opum nimiarum potentiae non ferendæ; postremo etiam in liberis civitatibus regnandi existunt cupiditates, quibus nihil nec tetrius, nec fœdius excogitari potest. Emolumenta enim rerum fallaciibus judiciis vident: pœnam, non dico legum, quas sæpe perrumpunt, sed ipsius turpitudinis, quæ acerbissima est, non vident. Quamobrem hoc quidem deliberant genus pellatur e medio (est enim totum sceleratum, et impium), qui deliberant, utrum id sequantur, quod honestum esse videant, an se scientes scelere contaminent: in ipsa enim dubitatione facinus inest, etiamsi ad id non pervenerint. Ergo ea deliberanda omnino non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio. Atque etiam ex omni deliberatione celandi et occultandi spes, opinioque removenda est. Satis enim nobis (si modo in philosophia aliiquid profecimus) persuasum esse debet, si omnes deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste,

nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.

IX. Hinc ille Gyges inducitur a Platoue : qui, quum terra discessisset magnis quibusdam imbris, in illum hiatum descendit, æneumque equum, ut ferunt fabulæ, animadvertit, cuius in lateribus fores essent : quibus apertis hominiis mortui vidiit corpus magnitudine inusitata, annulumque aureum in dito; quem ut detraxit, ipse induit (erat autem regius pastor); tum in concilium pastorum se recepit. Ibi quum palam ejus annuli ad palmam converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat. Idem rursus videbatur, quum in locum annulum inverterat. Itaque hac opportunitate annuli usus, reginæ stuprum intulit, eaque adjutrice regem dominum interemit,¹ sustulitque, quos obstatre arbitrabatur : nec in his eum quisquam facinoribus potuit videre. Sic repente annuli beneficio rex exortus est Lydiæ. Hunc igitur ipsum annulum si habeat sapiens, nihilo plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet. Honesta enim bonis viris, non occulta queruntur.

Atque hoc loco philosophi quidam, minime mali illi quidem, sed non satis acuti, factam et commen-tiam fabulam dicunt prolatam a Platone : quasi

¹ Sustulit.

vero ille, aut factum id esse, aut fieri potuisse de-fendat. Hæc est vis hujus annuli, et hujus exempli : si nemo sciturus, nemo ne suspicaturus quidem sit, quum aliquid, divitiarum, potentia, domina-tionis, libidinis causa, feceris, si id diis homini-busque futurum sit semper ignotum ; sine factu-ris. Negant, id fieri posse : ² quanquam potest id quidem. Sed quæro, quod negant posse, id si posset, quidnam facerent? Urgent rustice sane. Negant enim posse, et in eo perstant : hoc verbum quid valeat, non vident. Quum enim quærimus, si possint celare, quid facturi sint; non quærimus, possintue celare : sed tanquam tormenta quedam adhibemus, ut, si responderint, se, impunitate proposita, facturos, quod expediatur, facinorosos se esse fateantur; si negent, omnia turpia per se ipsa fugienda esse concedant. Sed jam ad propositum revertamur.

X. Incidunt sæpe multæ causæ, quæ conturbent animos utilitatis specie; non, quum hoc delibera-tur, relinquendæ sit honestas propter utilitatis magnitudinem (nam id quidem improbum est);

¹ Sic omnes habent mss. et vett. edd. Lamb. et Aldus nepos, ut negationem intruderent, maluerunt nequaquam. Nos, post Lallem., Ernest. invito, vul-gat. tuemur, et cum Gesnero facimus, qui intelligit negari.

sed illud, possitne id, quod utile videatur, fieri non turpiter. Quum Collatino collegæ Brutus imperium abrogabat, poterat videri facere id injuste. Fuerat enim in regibus expellendis socius Bruti, consiliorum etiam adjutor. Quum autem consilium hoc principes cepissent, cognationem Superbi, nonmenque Tarquiniorum, et memoriam regni, esse tollendam: quod erat utile, patriæ consulere; id erat ita honestum, ut etiam ipsi Collatino placere deberet. Itaque utilitas valuit propter honestatem: sine qua ne utilitas quidem esse potuisset. At in eo rege, qui urbem condidit¹, non ita. Species enim utilitatis animum pepulit ejus: cui quum visum esset utilius, solum, quam cum altero regnare, fratre interemit. Omisit hic et pietatem, et humilitatem, ut id, quod utile videbatur, neque erat, assequi posset: et tamen muri causam opposuit, speciem honestatis neque probabilem, neque satis idoneam. Peccavit igitur; pace vel Quirini, vel Romuli dixerim.

Nec tamen nostræ nobis utilitates omittenda sunt, aliisque tradenda, quum his ipsi² egeremus; sed suæ cuique utilitati, quod sine alterius injuria fiat, serviendum est. Scite Chrysippus, ut multa:

¹ Ambo Heusingeri e codd. non item. ² Sic Ern. post Heumannum. Vulg. egeamus.

Qui stadium, inquit, currit, eniti et contendere debet, quam maxime possit, ut vincat; supplantare eum, quicum certet, aut manu¹ depellere, nullo modo debet. Sic in vita sibi quemque petere, quod pertineat ad usum, non iniquum est; alteri deripere, jus non est.

Maxime autem perturbantur officia in amicitiis: quibus et non tribuere, quod recte possis, et tribuere, quod non sit æquum, contra officium est. Sed hujus generis totius, breve, et non difficile præceptum est. Quæ enim videntur utilia, honores, dñitiae, voluptates, cetera generis ejusdem, hæc amicitia nunquam anteponenda sunt. At neque contra rempublicam, neque contra iurandum ac fidem, amici causa, vir bonus faciet; ne si judex quidem erit de ipso amico. Ponit enim personam amici, quum induit judicis. Tantum dabit amicitia, ut veram amici causam esse malit; ut orandæ² litiis tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Quum vero jurato sententia dicenda sit, meminerit, deum se adhibere testem, id est (ut arbitror) mentem suam, qua nihil homini dedit deus ipse divinus. Itaque præclarum a majoribus accepimus morem rogandi judicis, si eum teneremus, «Quæ salva fide facere possit.» Hac

¹ Apud Nonium, pellere. ² Liti.

rogatio ad ea pertinet, quæ paullo ante dixi honeste amico a judice posse concedi. Nam, si omnia facienda sint, qua amici velint, non amicitia tales, sed coniunctiones putandæ ¹ sint. Loquor autem de communibus amicitiis. Nam in sapientibus vi-
ris, perfectisque, nihil potest esse tale. Damonem et Phintiam, Pythagoreos, ferunt hoc animo inter se fuisse, ut quum eorum alteri Dionysius tyran-
nus diem necis destinavisset, et is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum snorum causa postulavisset, vas factus ² sit alter ejus sistendi; ut, si ille non revertisset, morien-
dum esset ipsi. Qui quum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyranus, petivit, ut se ad amicitiam tertium ascriberent. Quum igitur id, quod uile videtur in amicitia, cum eo, quod honestum est, comparatur; jaceat utilitatis species, valeat honestas. Quum autem in amicitia, quæ hon-
esta non sunt, postulabuntur; religio et fides ³ anteponantur amicitia: sic habebitur is, quem exquirimus, delectus officii.

XI. Sed utilitatis specie in republica sæpiissime peccatur, ut in Corinthi disturbance nostri. Du-
rius etiam Athenienses, qui sciverunt, ut Egine-
tis, qui classe valebant, pollices præciderentur.

¹ Sunt. ² Est. ³ Anteponatur.

Hoc visum est utile. Nimis enim imminebat, propter propinquitatem, Egina Piræo: sed nihil, quod crudele, utile. Est enim hominum naturæ, quam sequi debemus, maxime inimica crudelitas. Male etiam, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eosque exterminant, ut Pennus apud patres nos-
tros, Papius nuper. Nam esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere; quam tulerunt legem sapientissimi consules, Crassus et Scævola: usu vero urbis prohibere peregrinos, sane inhu-
manum est. Illa præclara, in quibus publice utilitatis species præ honestate contemnitur. Plena exemplorum est nostra respublica, quum sæpe, tum maxime bello Punico secundo: quæ, Can-
nensi calamitate accepta, maiores animos habuit, quam unquam rebus secundis. Nulla timoris si-
gnificatio, nulla mentio pacis. Tanta vis est ho-
nesti, ut speciem utilitatis obscuret. Athenienses quum Persarum impetum nullo modo possent sus-
tinere, statueruntque, ut urbe relicta, conjugibus et liberis Trozene depositis, naves concende-
rent, libertatemque Græcie classe defenserent: Cyrsilum quemdam, suadentem, ut in urbe ma-
nerent, Xerxemque reciperen, lapidibus ⁴ obrue-
runt. Atque ille utilitatem sequi videbatur: sed ea

⁴ Al. codd. coopererunt.

nulla erat, repugnante honestate. Themistocles post victoriam ejus belli, quod cum Persis fuit, dixit in concione, Se habere consilium reipublicæ salutare, sed id sciri, opus non esse. Postulavit, ut aliquem populus daret, quicun communicaret. Datus est Aristides. Huic ille, Classem Lacedæmoniorum, quæ subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse; quo facto frangi Lacedæmoniorum opes necesse esset. Quod Aristides quum audisset, in concionem magna expectatione venit; dixitque, Pernitile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum. Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt; totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiaverunt. Melius hi, quam nos, qui piratas immunes, socios vectigales habemus.

XII. Maneat ergo, quod turpe sit, id nunquam esse utile, ne tum quidem, quum id, quod esse utile putas, adipiscare. Hoc enim ipsum, utile putare, quod turpe sit, calamitosum est.

Sed incident (ut supra dixi) sepe causæ, quum repugnare utilitas honestati¹ videtur, ut animadvertiscendum sit, repugnetne plane, an possit cum honestate conjungi. Ejus generis ha sunt questio-

¹ Videatur.

nes: Si, exempli gratia, vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum adixerit in Rhodiorum inopia et fame, summaque annona caritate; si idem sciat, complures mercatores Alexandria solvisse, navesque in cursu, frumento onustas, petentes Rhodum, viderit: dicturusne sit id Rhodiis, an silentio suum quam plurimo venditurus? Sapientem et bonum virum fingimus; de ejus deliberatione et consultatione querimus, qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe judicet, sed dubitet, turpe sit,¹ an non sit. In hujusmodi causis aliud Diogeni Babylonio videri solet, magno et gravi stoico, aliud Antipatro, discipulo ejus, homini acutissimo. Antipatro, omnia patefacienda, ut ne quid omnino, quod vendorit norit, emitor ignoret; Diogeni, venditorem, quatenus jure civili constitutum sit, dicere vitia oportere; cetera sine insidiis agere; et quoniam vendat, velle quam optime vendere. Advixi, exposui, vendo meum non pluris, quam ceteri; fortasse etiam minoris, quum major est copia. Cui fit injuria? Exoritur Antipatri ratio ex altera parte: Quid ais? tu, quum hominibus consulere debebas, et servire humanae societati, eaque lege natus sis, et ea habeas principia naturæ, quibus parere, et quæ sequi

¹ An turpe non sit.

debeas, ut utilitas tua, communis utilitas sit, vicissimque communis utilitas, tua sit, celabis homines, quid iis adsit commoditatis et copiae? Respondebit Diogenes fortasse sic: Alind est celare, aliud tacere; neque ego nunc te celo, si tibi non dico, quæ natura deorum sit,¹ qui sit finis honorum; quæ tibi plus prodessent cogita, quam tritici² vilitas: sed non, quidquid tibi audire utile est, id mihi dicere necesse est. Imo vero, inquiet ille, necesse est, si quidem meministi, esse inter homines natura conjunctam societatem. Memini, inquiet ille, sed num ista societas talis est, ut nihil suum cujusque sit? Quod si ita est, ne vendendum quidem quidquam est, sed donandum.

XIII. Vides in hac tota disceptatione non illud dici, Quamvis hoc turpe sit, tamen, quoniam expedit, faciam; sed ita expedire, ut turpe non sit: ex altera autem parte, ea re, quia turpe sit, non esse faciendum. Vendat aedes vir bonus propter aliqua vitia, quæ ipse norit, ceteri ignorent: pestilentes sint, et habeantur salubres; ignoverunt, in omnibus cubiculis apparere serpentes; male materialia, ruiposæ: sed hoc, præter dominum,

¹ Quis. ² Haec lectionem, pro vulg. utilitas, e mss. reduxerunt Gryph. Ern. Heusinger. al., et suadet Olivetus.

nemo sciatur. Quæro, si hoc emtoribus vendor non dixerit, ædesque vendiderit pluris multo, quam se venditum putarit, num id inuste, an improbe fecerit. Ille vero, inquit Antipater: quid enim est alind, erranti viam non monstrare (quod Athenis execrationibus publicis¹ sancitum est), si hoc non est, emtorem pati ruere, et per errorem in maximam fraudem incurrere? Plus etiam est, quam viam non monstrare. Nam est scientem in errorem alterum inducere. Diogenes contra: Num te emere coagit, qui ne hortatus quidem est? ille, quod non placebat, proscripsit: tu, quod placebat, emisti. Quod si qui proscribunt, VILLAM BONAM, BENEQUE ÆDIFICATAM, non existimantur feffellisse, etiam si illa nec bona est, nec adficata ratione; multo minus, qui domum non laudarunt. Ubi enim judicium emtoris est, ibi fraus vendoris quæ potest esse? Sin autem dictum non omne præstandum est, quod dictum non est, id præstandum putas? Quid vero est stultius, quam venditorem, ejus rei, quam vendat, vitia narrare? Quid autem tam absurdum, quam si domini jussu ita præco prædicet, DONUM PESTILENTEM VENDO?

Sic ergo in quibusdam causis dubiis ex altera

¹ Græv. Heusing. sanctum.

parte defenditur honestas , ex altera ita de utilitate dicitur, ut id, quod utile videatur, non modo facere honestum sit; sed etiam, non facere, turpe. Hæc est illa , qua videtur utilium fieri cum honestis sæpe dissensio. Quæ dijudicanda sunt. Non enim, ut quereremus, exposuimus, sed ut explicaremus. Non igitur videtur nec frumentarius ille Rhodios , nec hic ædium venditor celare emtores debuisse. Neque enim id est celare, ¹ quidquid reticeas ; sed quum, quod tu scias, id ignorare emolumenti tui causa velis eos, quorum intersit id scire. Hoc autem celandi genus quale sit, et cuius hominis, quis non vider? Certe non aperti, non simplicis, non ingenui, non justi, non viri boni; versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. Hac tot, et alia plura, nonne inutile est viiiorum subire nomina ?

XIV. Quod si vituperandi sunt, qui reticuerunt, quid de iis existimandum est, qui orationis vanitatem adhibuerunt? C. Canius, eques Romanus , nec infactus, et satis litteratus, quum se Syracusas otiandi (ut ipse dicere solebat), non negotiandi causa, contulisset, dictabat, se hortulos aliquos velle emere, quo invitare amicos, et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. Quod

¹ Ed. Lugdun. 1527, quem quid reticeas.

quum pererebruiisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis , ¹ dixit, venales quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio , si vellet, ut suis : et simul ad cœnam hominem in hortos invitavit in posterum diem. Quum ille promisisset, tum Pythius , qui esset, ut argentarius, apud omnes ordines gratiosus, piscatores ad se convocavit, et ab his petivit, ut ante suos hortulos postridie piscentur; dixitque, quid eos facere vellet. Ad cœnam tempore venit Canius ; opipare a Pythio apparatum convivium; cymbarum ante oculos multitud. Pro se quisque quod ceperat, afferebat; ante pedes Pythii pisces abjiciebantur. Tum Canius, Queso, inquit, quid est hoc, Pythi? tantumne piscium, tantumne cymbarum? Et ille, Quid mirum? inquit; hoc loco est, Syracusis quidquid est piscinum; bæc aquatio; hac villa isti carere non possunt. Incensus Canius cupiditate, contendit a Pythio , ut venderet. Gravate ille primo. Quid multa? impetrat; emit homo cupidus, et locuples, tanti, quanti Pythius voluit, et emit instructos ; nomina facit, negotium conficit. Invitat Canius postridie familiares suos. Venit ipse mature. Scalum nullum videt. Quærerit ex proximo vicino,

¹ Abest dixit a multis codd. Heusingeri omiserunt, ut et Lallem.

nam feriae quædam piscatorum essent, ¹ quod eos nullos videret. Nullæ, quod sciam, inquit ille: sed hic piscari nulli solent. Itaque heri mirabar, quid accidisset. Stomachari Canius. Sed quid ficeret? nondum enim Aquillius, collega et familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas: in quibus ipsis quum ex eo ² quæreretur, Quid esset dolus malus; respondebat, quum esset aliud simulatum, aliud actum. Hoc quidem sane ³ luculenter, ut ab homine perito definiendi. Ergo et Pythius, et omnes aliud agentes, aliud simulantes, perfidi, improbi, malitiosi sunt. Nullum igitur factum eorum potest utile esse, quum sit tot vitii inquinatum.

XV. Quod si Aquilliana definitio vera est, ex omni vita simulatio, dissimulatioque tollenda est. Ita nec, ut emat melius, nec, ut vendat, quidquam simulabit vir bonus. Atque iste dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela XII Tabulis, et circumscripicio adolescentium lege Lætoria; et sine lege, iudiciis, in quibus additur, EX FIDE BONA. Reliquorum autem judiciorum hac verba maxime excellunt; in arbitrio rei uxoriæ, MELIUS, EQUIUS; in fiducia, UT INTER BONOS BENE AGIER. Quid ergo? aut in eo, quod MELIUS, EQUIUS,

¹ Facciolat. malebat, quod eos non videret. Frustra.
² Olim quærerem. ³ Al. luculente.

potest ulla pars inesse fraudis? aut quum dicitur, INTER BONOS BENE AGIER, quidquam agi dolose aut malitiose potest? Dolus autem malus simulatione, ut ait Aquilius, continetur. Tollendum est igitur ex rebus contrahendis omne mendacium. Non ¹ illicitatorem venditor, nec qui contra se licetatur, emtor apponet: uterque, si ad eloquendum venerit, non plus quam semel, eloquetur.

Q. quidem Scævola, P. F., quum postulasset, ut sibi fundus, cuius emtor erat, semel indicaretur, idque venditor ita fecisset: dixit, *se pluris estimare;* addidit centum millia. Nemo est, qui hoc boni viri fuisse neget; sapientis, negant: ut si minoris, quam potuisset, vendidisset. Hæc igitur est illa pernicies, quod alios bonos, alios sapientes existimant. Ex quo Ennius, « Nequicquam sapere sapientem, qui sibi ipse prodesse non quiret. » Vere id quidem, si, quid esset « prodesse », mili cum Ennio conveniret. Hecatonem quidem Rhodium, discipulum Panæti, video in iis libris, quos ² de Officiis scripsit Q. Tuberoni, dicere: Sapientis esse, nihil contra mores, leges,

¹ Sic certissime ex antiquissimis codd. J. F. Heusinger, ut Ep. fam., VII, 2, pro vulgata lect. licitatem, quam tamen Lallem. retinuit. ² Al. de Officio.

instituta facientem , habere rationem rei familiari-
ris. Neque enim solum nobis divites esse volu-
mus, sed liberis, propinquis, amicis, maximeque
reipublicæ. Singulorum enim facultates, et copiæ,
divitiae sunt civitatis. Huic Scævolæ factum (de quo
paullo ante dixi) placere nullo modo potest. Ete-
nim omnino tantum se negat fakturum compendii
sui causa, quod non liceat. Huic nec lans magna
tribuenda, nec gratia est. Sed sive simulatio , et
dissimulatio , dolus malus est; perpancae res sunt,
in quibus dolus iste malus non veretur : sive vir
bonus est is , qui prodest, quibus potest, nocet
nemini , certe istum virum bonum non facile re-
periemus.

Nunquam igitur est utile peccare , quia semper
est turpe ; et, quia semper est honestum , virum
bonum esse semper est utile.

XVI. Ac de jure quidem prædiorum sancitum
est apud nos jure civili , ut in his vendendis vitia
dicerentur, quæ nota essent venditori. Nam ,
quum ex XII Tabulis satis esset ea præstari, quæ
essent lingua nuncupata; quæ qui inficiatus esset,
dupli poenam subiret: a jureconsulto etiam reti-
centiæ pena est constituta. Quidquid enim esset
in prædio vitii, id statuerunt, si venditor sciret,

¹ Recte justum v. b. n. f. reperimus.

nisi nominatum dictum esset, præstari oportere.
Ut, quum in arce augurium augures acturi es-
sent, jussissentque T. Claudium Centumalum ,
qui ædes in Cœlio monte habebat, demoliri ¹ ea,
quorum altitudo officeret auspiciis : Claudius pro-
scripsit insulam , vendidit : emit P. Calpurnius
Lanarius. Huic ab auguribus illud idem denuntia-
tum est. Itaque Calpurnius quum demolitus esset,
cognossetque , Claudius ædes postea proscrip-
sisse, quam esset ab auguribus demoliri jussus,
arbitrum illum adegit, quidquid sibi dare, facere
oporteret EX FIDE BONA. M. Cato sententiam dixit,
hujus nostri Catonis pater. Ut enim ceteri ex pa-
tribus, sic , qui lumen illud progenuit, ex filio
est nominandus. Is igitur judex ita pronuntiavit:
quum in venundando rem eam scisset, et non
pronuntiasset, emtori damnum præstari oportere.
Igitur ad fidem bonam statuit pertinere, notum
esse emtori vitium, quod nosset venditor. Quod si
recte judicavit; non recte frumentarius ille, non
recte ædium pestilentium venditor tacuit. Sed hu-
jusmodi reticentiæ jure civili omnes comprehendti
non possunt: quæ autem possunt, diligenter tenen-
tur. M. Marius Gratidianus, propinquus noster ,
C. Sergio Orata vendiderat ædes eas , quas ab eo-

² Eas, quarum.